

relicta provincia sua a provinciâ præsibus despecti, huc adcurrant. Nam si posthac nobis ab his qui ex eo loco comeant, negotium fiet, omnino percontabimur adeantes, si ea re renuntiaverint imperium in provincia genti: ac si edocti fuerimus, quod ista non denunciarint: cum summa eos increpatione remitemus in provinciam: si vero illi denunciarint quidem, at provinciæ imperium gerens, aut per socordiam omisit, aut turpi aliqua de causa legum rationem non habuit, tunc omnem animi nostri motum in ipsum convertemus. Quemadmodum enim majores in illum (erogationes fecimus, nimirum utriusque officii) tanquam hominum multitudinem eum prefecimus: ita si comperit habuerimus, quod indigne in hoc versetur officio neque remisse agemus, neque mediocres pœnas irrogabimus: imo quanto ipsum alius in sublime evehimus, si probe se gerat, tanto rursus gravioribus eum percellemus pœnis si quid contra leges deliquerit. Ad hæc nemini¹⁴ omnino oportet eum succumbere, neque si insigni aliqua dignitate sit præditus, neque si opibus abundet: propterea enim gravioribus viris et auctoritate plenis ejusmodi tradimus officia: ne quid necesse habeant remittere his, qui opibus suis freti, aliis velint inferre injuriam.

CAP. IV.

Curabit quoque omnia illic opera¹⁵ publica, neque patietur, ut vel portus, vel muri, vel pontes, vel itinera, vel denique alia vitium contrahant: sed ipse, quæcumque ex civilibus rebus possunt refici, ea procurat: si quid vero ex his majore cura indiget, id per suggestionem ad nos referat, et rationes conficiantur, prout jam a nobis lege sancitum est. Neque enim volumus, ut qui solitas hæc negotiationes, item aquarum pervestigations, et hortorum, murorum, imaginum, aliorumque id genus reparations (quæ quidem omnia olim abrogari placuit) exercent, hi a præfectura quam moderaris mittantur in provinciam: sed ipse pervestiget ea quæ fieri debeant, et secundum constitutionem nostram rationes illos faciat edere. — § 1. Quod si nobis placuerit alium ad hoc dirigere: per pragmaticas formas id efficiemus, quæ (si ita visum sit) ad tuam deferantur præfecturam. Nam ut subditos nostros eripiamus et liberemus dispendiis, propterea et magnam pecunie vim (ut ex parte vel ipse nosti) despiciamus, et ita amplis annonis tam præsidem, quam cohortes et circa illos versari solitos consolati sumus, ne per egestatem forte, aut ejusmodi aliquid, parum decentibus factis occupentur, sed insigni dignitate præditi, et de amplo senatorum ordine sint, et ita cum Dei et nostri memoria versentur in provincia. Quæ si nullo unquam pacto memoria neque huic exciderint, per omnia se ipso pulchrior futurus est. — § 2. Ac si veteres Romani consularibus¹⁶ tantum et prætoris viris provinciarum administrationes demandantur, neque nos alienum a bonis moribus faciemus, si talibus eas tradamus, qui exactorum hinc in provincias tendentium, et præter rationem collatores nostros damnis involvere tentantium violentias reprimentes, hujusmodi necessitatem queant resolvere. Damus etenim ei et curiosius ista indagandi, et prohibendi, et ad nos per suggestionem nuntiandi facultatem, et ut partim ipse per se ea corrigat, partim celerius ad nostram referat notitiam: ut si qua in re imbecilliores sunt, ibi vires crescant, et suppleantur scientiæ, et jussionis nostre accessione.

CAP. V.

Hæc etiam in sacris ipsos admonebimus mandatis, quæ una cum signis magistralibus trademus, ut memores juramentorum quæ præstant, et monitorum quæ illis dabimus, prout nos nostrumque de illis meretur judicium, et propriam exornent vitam, et traditum gubernent officium secundum nostras leges. Quibus ipsis conditionibus magistratum tradimus, dantes illis (ut dictum est) omnem potestatem ut tam in pecuniariis, quam criminalibus, et omnibus denique causis judicent, et appellatio apud ipsos interposita ad gloriosissimos nostros præfectos et gloriosissimum decurrat quæstorem, qui causæ communem præbeant audientiam secundum formam earum causarum, quæ in sacrum introducuntur palatium. Si quam vero causam minorem quingentis aureis per ea loca provocatione suspendi contigerit, et si ex delegatione vel nostra vel judiciaria sit, neque is cui ea causa delegata est, spectabilis judex sit, ut ex illis locis appellatio ad ipsum procedat, eamque audiat in forma sacri palatii. Ornamus enim officium ejus hoc etiam modo, et æqualem constituimus spectabili comiti Orientis, et proconsulis et comitibus Phrygiæ et Galatiæ: ut et ipsum spectabile sit, quemadmodum harum regionum officia sunt, atque in hac forma persistat: ut interim tamen hæc nostra lex clariss. provinciæ præsidis officium non minuat, sed illo in aliis provinciis locis conficiente, quæ quidem propria legum sunt: hoc scilicet demandatam sibi a nobis sollicitudinem in illis parti-

14. N. 25, c. 2 in fin. — 15. d. N. c. 4, § 1. — 16. Tit. de offic. procons. et præsid. Tit. VI — 3. N. 20, c. 3 — 2. N. 8, c. 5; N. 24, c. 4 — 3. d. N. 8, c. 2; d. c. 4 — 4. N.

bus in quibus consistit, implente. — § 1. Subjicietur item a nobis huic legi descriptio, quæ commemoret et quid ipsum erogare pro codicillis magistratus, et quid ipsum circaque ipsum versari solitos rursus auferre ex publico conveniat titulo annonarum, quæ etiam solas ipsos omni alio extra hanc causam lucro abstinentes accipere permittimus. Propterea enim per majores erogationes ampliores eos efficiamus, ut et ipsi subditos nostros undique conservantes, et juramentorum quæ præstare solent, memores, ipsis hanc nobis factis remunerationem reddant. Atque hanc sane præsentem legem habebit quidem legum volumen, sed thronus tuus susceptam eam et memoria mandatum perpetuo conservet in opere. Oportet autem prætori Thraciæ annonarum, capitum, et reliqui solatii nomine præberi, solidos CCC; ejus adessori, solidos LXXII; ejus cohorti, aureos LII. Occasione vero codicillorum præbere oportet eum sic: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubiculi, solidos IX; primicerio clarissimorum tribunorum notariorum, et laterculensibus, solidos XXIV; cohorti gloriosissimorum præfectorum pro jussionibus et omni alia causa, solidos XL.

TIT. VI.

DE¹ COMITE ISAURLÆ.

NOVELLA CONSTIT. XXVII.

Imp. JUSTIN. AUG. Joanni gloriosiss. sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli et patricio.

PRÆFATIO.

Quod quibusdam ante nos imperatoribus, ut in Isaurorum regione facerent, per imaginem et figuram in mentem venit, id nos re ipsa jam per ipsam operum efficaciam tam in Galatiâ² prima, quam Pacatiana³ Phrygia confecimus, vicarii officio (ut prius appellabatur) cum civili adanato, et una utrinque cohorte constituta, et ipsis (ut oportuit) exornatis, neque non utriusque pro vetere appellatione comitis nomine imposito: ut ille quidem comes Galatiæ primæ nuncupetur; is vero nominetur comes Pacatianæ Phrygiæ, utrumque horum ipsorum nostro comitante cognomine.

CAP. I.

Idemque hoc et in Isaurorum provincia præcipimus. Neque enim volumus, ut qui de cætero in hoc consistit officio, duplicibus utatur codicillis, et sumat quidem civilis officii appellationem, sumat vero etiam militaris potestatis signa, et duplex nomen circumferat, cum res plane sit eadem: sed jam inde ut unitum officium habeat, statimque, quod ipsum et armis provideat, et publica in se recipiat, omni sub se continens, et una cohorte utens, quæ comitiana appelletur: et suæ militiæ probatorias ferat ex sacro libellorum serinio. Obveniat autem omnino et is magistratus gratis, neque quidquam exhibebit numerabitque pecuniæ. Et ut ipse quoque puris utatur manibus, quemadmodum reliqui, ad ipsum nuper a nobis editam legem transmisimus. Sed præter codicillos, qui et ipsum inter spectabiles adscriperunt, dabimus ei sacra etiam præcepta, quæ mandata⁴ principis a veteribus nuncupantur, et a nobis rursus in rempubl. sunt illata, ex quibus intelliget quæ singulatim ad ejus pertineant sollicitudinem, tam in publicis omnibus, quam privatis contractibus, quidquid præterea venustum et decorum est, ne quid fuscus sentiat dispendii, et simpliciter quæcumque ipsum facere convenit, ex iis illis manifesta fient.

CAP. II.

Hoc unum sciat, quod et ipse inter spectabiles magistratus collocatus est, et appellationes apud illum interpositas gloriosissimorum sacrorum nostrorum prætoriorum præfecti, tum etiam gloriosissimus quæstor noster, audient, quemadmodum et augustalis, et proconsulis, et trium prætorum nuper a nobis in Pisidia⁵, et Lycaonia⁶, Thracia⁷, institutorum, et comitis Orientis⁸, et insuper comitis Pacatianæ⁹, Phrygiæ et Galatiæ¹⁰ primæ. Quod si qua in Isauria causa minor quingentis aureis sit, et postea per provocationem suspendatur, huic et ipse audientiam accomodabit, in forma sacrorum auditoriorum. Nam et hoc illi concedimus, dignitatis illi pleniorum magistratum in hac etiam parte efficientes.

EPILOGUS.

Tua igitur excellentia ad prædictorum magistratum imitationem, ea quoque quæ hunc concernunt, constituat. Subjiciemus enim et descrip-

17. — 5. N. 24. — 6. N. 25. — 7. N. 26. — 8. N. 8, c. 5. — 9. d. N. 8, c. 2. — 10. d. N. 8, c. 2.

tionem huic nostræ legi, declarantes quid ipsum cohortemque ejus, et ejus adsessorem ex publico ferre, quid item nomine codicillorum magistratus dare conveniat. Ac noverint, qui hosce a nobis nuper ad novam pulchritudinem redactos magistratus suscipiunt, quod et pecunias, quæ continue pro officiis offerebantur, omnino recusare; et quæ non provenerant, de nostro tam ipsis quam ipsorum adsectoribus dare, et cohortibus largiri, quæ ab aliis ablata erant, et ipsis præsidibus majora adsignare solatia sustinimus, in hoc tantum, ut undique subditos nostros immunes a dispendiis conservemus. Quod si quos vicinarum illi provinciarum præsidem negligentius agere circa tributa publica deprehendas: non alium emittes, sed ipsos spectabiles magistratus fatigabis, ut vicinarum provinciarum præsidibus si socordiæ se tradant, immineant: et efficiant, ut omnibus hæc modis inferant, quo magistratus multo pulchrior sit et præstantior, quam dudum.

Oportet Isauriæ comiti pro annonis præstari solidos CC; ejus adessori, sol. XXII; cohorti ejus, aureos LII. Oportet item ipsum præbere occasione codicillorum sic: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubiculi, solidos IX; primicerio clarissimorum tribunorum notariorum et laterculensibus, sol. XXIV; cohorti gloriosissimorum præfectorum pro jussionibus, et omni causa, sol. XL.

TIT. VII.

DE MODERATORE¹ HELENOPONTI.

NOVELLA CONSTIT. XXVIII.

Imp. JUSTIN. AUG. Joanni præfecto prætorio.

PRÆFATIO.

Quod pulchre et longo ante tempore concinnatum adunatumque et in sua jam firmitate compositum extitit: id sane novare aut dividere absque rationabili causa, confirmati validique imperii non est. Neque enim in verborum multitudine, sed in vero et justo rerum effectu robur imperii collocandum est. Et tamen circa duos illos (ut vocant) Pontes, nempe Helenopontum, et Pontum Polemoniæcum, tale quiddam factum esse didicimus. Cum enim sub unum antea præsidem ordinata esset provincia, duo constituti sunt, neque publica id necessitate exigente: neque alio aliquo rationabili prætextu subsistente, quem expedite aliquis et facile inveniat. Adeoque amplius ejus facti testimonium res ipsa præbet, cum in hodiernum usque diem uno tantum publicorum tributorum et dispositionum tractatore utraque utatur provincia. Ac si quis urbes quæ per utramque sunt, enumeret, vix unius provinciæ justa et sufficiens mensura resultet, si modo Helenopontum quidem octo urbes implent, hoc est Amasia, Iboræ, Euchaita, insuper et Zela, et Andrapa, quæque ad elimacas, hoc est gradus, sita sunt, Sinopa, et Amisus, antiqæ urbes, sed et Leonopolis, quæ et ipsa jam inter urbes numeratur: alia vero quinque Polemoniæcum² Pontum continent, Neocæsarea, et Comana, Trapezus, et Cerasus, et Polemonium: Pityus enim et Sebastopolis inter castra potius quam urbes numerandæ sunt: ut inter hosce terminos uterque Pontus consistat. Post quos tam nostra constituta est Lazica, in qua urbs Petraon est, quæ nostro beneficio et esse et nominari urbs cepit, quam quæ nostræ pietatis nomine utitur, et Justinianea appellatur. Archæopolis quoque et Rhodopolis, maxima et antiqua castra: in quibus plane etiam ea castra sunt, quæ nos a Persis recepimus. Scandis et Sapanis et Murisus ac Lusiris, et si quid aliud præterea a nobis in Lazis elaboratum est. Hæc deinde Tzavorum³ regio excipit, sub nostro nunc primum imperio Romanorum ditiori adjuncta: quæ et ipsa urbes partim nuper factas suscepit, partim mox futuras suscipiet. Post illam alia item gentes subsistunt, Suavi, et Scymni, et Apsila, et Abasgi, et alia, quæ omnes (permittente Deo) vel nostræ, vel sociæ sunt.

CAP. I.

Sed ad ista quidem nos de his locis instituta oratio detulit, nunc autem denuo ad Pontos et illorum anitionem revertamur. Ambos enim illos Pontos, tredecim comprehensos urbibus, iterum nunc in unam provinciam contrahimus, assignamusque ipsis tam veterem unionem, quam modernam appellationem. Namque ab omnibus Helenopontus nuncupatur: quod illi nomen a pietissimo principe Constantino impositum est, occasione honestissimæ suæ matris, Helenæ scilicet pietissimæ mulieris, quæ nobis etiam sacrum Christianorum signum invenit. Vetes enim

Tit. VII. — 1. N. 8, c. 15, § 26. — 2. L. ult. C. de offic. magistri milit. — 3. N. 1, in pr. — 4. N. 24, c. 4; N. 25, c. 1, in fin.; N. 26, c. 2, § 1. — 5. L. 3, in fin. D. de offic. præsid.

illud nomen Polemonis, quo plerique in Ponto tyranni usi fuerant, de hinc quiescit: primum, quia tyranni extitit: secundo, quia urbem de suo nomine appellatam habet, scilicet Polemonium: tum etiam, quia pulchrius fuerit, regiones Christianorum et regum nominibus designare, quam his quæ polemi, hoc est belli, et tumultus præ se notionem ferunt.

CAP. II.

Omnes autem illæ tredecim urbes unius sunt provinciæ, ut tamen neque alterutri in iis metropoli (Amasiæ scilicet et Neocæsaræ) metropolis nomen detrahatur: et Dei amantes earum episcopi, metropolitani quidem in hac urbe: qui vero sub metropolitani collocati sunt, ab his qui metropoles sub cura sua habent (ut hactenus in more fuit) orlinentur, nihil enim circa sacerdotium illarum innovamus, cum multas ejusmodi institutiones inter Dei amatissimos episcopos in una etiam provincia existere, tam vetustum seculum quam quod per nos modo exornatur, noverit. Et cum imperio quidem inducitur illis unus utriusque provinciæ præses, cognomento moderator, quem quis vulgari lingua usus Harmosten appellet, quandoquidem et moderatoris nomen vetustum est, romanaque amplitudine dignum: et ipse Harmosten quidam olim magistratus erat, qui e Lacedæmone hinc inde per omnem ejus ditonem dirigebatur.

CAP. III.

Unde qui id officium suscipit, moderator Justinianeus Helenoponti nominator: obtemperantque illi per eam provinciam stationem agentes militares copiæ. Habeto etiam adresponsum⁴, ejuscumque⁵ conditionis homines, omnes se illi submittondo sine ulla prærogativa privilegii. Audientiam quoque præbeto in causis tam pecuniariis quam criminalibus, et aliis minimis quidem, sine scripto et gratis: majoribus vero, licet scriptis intervenientibus, eo tamen sumptu quem sacra nostra prescribit constitutio. Item qui hunc magistratum suscipit, is utriusque officii annonas fert, surgentes usque in septingento vigintiquinque aureos, unaque utilior cohorte, et publicorum tributorum decursio et periculum idem et commune esto tam contra eum qui officium obtinet, quam contra cohortem, quandoquidem et ipsa in unam coibit formam, et inter se conglutinabitur, quemadmodum is ordinaverit qui supra provinciam positus est. — Sed et magistratus adsector septuaginta duos ex publico aureos capiet: et coloris ex ambabus prioribus una facta, quadringentos quadraginta septem aureos feret, et tremissem.

CAP. IV.

Insuper qui hoc fungitur officio, neque vicarios in locum suum per urbes dimittet: (observabit enim et id quemadmodum in sacris nostris continetur mandatis) sed ipse oberrando urbes lustrabit, nulla omnino lege aut sacra forte pragmatica forma prohibendus, tametsi præcedens tempus tale quid jussit. Stativaque agat ubicunque illi visum fuerit, vel in una metropoleon, vel in aliis urbibus, si modo ad ejus sustentationem urbs per omnia sufficit. Sordium ipse et lucri abstinentes, omniaque citra incolarum dispendium gerens. Nam neque ipse, neque coloralis, neque miles ipsum comitatus a collatoribus aliquid capiet, qui gratis sumptum faciet, aut etiam collatores nostros vel ipse atteret, aut comitantes ipsum milites hoc ipsum agere permittet, hoc etenim et ipsum pars est nostrorum mandatorum. Ipse certe sacramenti⁶ memor quod prestitit, et quod gratis officium suscipit, quodque tam magnum annonarum incrementum meruit, nunquam quidquam ausit accipere, nisi magna id cum pœna velit restituere: neque ut cohors per ejusmodi occasionem tale quid vel exigat, vel oblatum accipiat permittens. Et nisi procuraverit, ut milites ipsum annonis suis contenti sequantur, neque ipse justam indignationem effugiet, irrogatumque ab ipsis damnum compelletur ex eorum annonis exigere, et hoc collatoribus sarcire. — § 1. Propterea certe majores hosce magistratus auctoritatibus pleniores tam multitudine apparitorum (centum enim illum cohortales habere volumus) quam dignitatis magnitudine (siquidem spectabilem illi magistratum efficiamus) esse volumus, ut necessitatis tempore amplioribus utamur magistratibus, et qui nostris subservire possint jussionibus. Quid enim facerent hi qui veteri forma præferunt provinciis, qui cum paucos circa se haberent, paucissimis ipsi imperitabant, modicæque admodum ferentes et publico, plurima dantes, rapere cogebantur, et unum hoc habere studio, ut sequentibus et undique ipsis imminentibus creditoribus occasione pro officio datorum non nihil gratiæ referrent et beneficii? Quibus rebus nostros consueverunt auctionari subditos impios juxta et periculi plenos sibi redditus conquiritentes. — § 2. Harum nos rerum indignitas permovet, ut non solum exinde provenientibus lucris renunciarem, sed et de nos-

— 6. N. 8, c. 7, et Tit. 3, post d. N.

tro magnos insuper sustineremus sumptus : et si quibus species aliqua magistratus interveniente pretio a decessoribus nostris tradita esset, adhibita id medicina curarem, atque hoc genere tributū collatores nostros redderemus liberos, et officia suscipientibus de nostro solatium introduceremus, quo magis hos quoque libertatis participes efficeremus. Siquidem in parato nobis est, Deo, (ut apparet) talia largiente, ut non solum Afros, et quæ ibidem gentes sunt libertate donemus, sed etiam ut eos, de quibus in medullio quodammodo nostræ reipublicæ singulis ferme annis nova actio instituebatur, neque tamen dabatur sub eodem manere *cauponatore*, sed per modica intervalla nunc hujus, nunc illius *potestati subdebantur*, hujusmodi dispendio et turpitudine liberemus. Hanc nos gratiam Deo referendam putavimus, qui imperii nobis coronam imposuit, qui communi omnium calculo per patrem nostrum purpuram nobis donavit, qui denique tot tantasque in nos liberalitates explicuit, quantas nulli majorum nostrorum unquam dedit.

CAP. V.

Oportet igitur, ut qui ad hoc officii accedit, sciens prudensque quam multis hominibus, quam multis præsideat uribus, quam venerandus item futurus sit, mutata dignitatis forma ex consulari et correctoria in majorem magistratum et spectabilem, per omnia subditis parcat, et indemnes ipsos tueatur, pariter etiam ubique utatur manibus, et publicum augeat, ad ejusque commoda omnem referat providentiam : privatim quoque sordibus⁷ et muneribus absteat : et civitatibus publice simul et privatim sua jura decernat, oberrando eas perlustret, et iis medeatur, nihil lucri causa faciat : neque parvum neque magnum, sed bonum et memorabile nomen appetat, et diligenter, sanctoque per omnia datum jusjurandum observet, in omnibus denique gratiosum se nobis exhibeat. — § 1. *Cavebit vero etiam, ne quod præcipue in Ponto committi solet, ejus rei cuiuslibet facultatem det, ut nempe titulos⁸ imponat prædiis, vel alienis ædibus, siquidem hoc solummodo fisci proprium est, et regiarum domuum tam nostrarum quam piensissimæ Augustæ. Si vero sub alterius appellatione tabulas sive titulos impositos deprehendat, tam ipsas protinus detrahat⁹, quam eum qui illas affixerit, pervestigabit. At siquidem is qui se rei dominum esse dicit, hoc fecerit, extemplo illius¹⁰ rebus publicos imponet titulos, prius his titulis, quos ipse apposuit, ad caput ejus impactis confractisque. Si vero alienarum rerum procurator, fuerit, tam titulos (ut diximus) ad ejus caput confringet, quam modicis etiam tormentis eum subjiciet, quo magis hæc perdiscens *is cuius causa id factum fuerit, cognoscat*, quod neque ipse per se, neque per certos satellites, aut per eos qui in hoc assumuntur, ut explendæ ejus avaritiæ satagant, subditos injuriis afficere liceat.*

CAP. VI.

Consimiliter oportet, ut ipse spectabilis moderator atrocitatis exercentes, et habendi studio alios defraudantes, mulieres denique, bona, jumenta, et ejus generis alia rapientes, reprimat, quo incontaminatum jus conservet, et nos recte hoc videamur cepisse consilii : neque quibusdam per provinciam grassantibus, ipsi vero ejus facti vindictam non repentibus, penitentia nos incessat, quod latrunculares et violentiarum repressores cessare fecerimus¹¹ : propterea enim illi etiam milites submissimus, ut illorum manu instructus, difficiliter queat ab insultantibus expugnari.

CAP. VII.

Hæc nos illi strictim et sub compendio commendata esse volumus. Nam quæ per partes gerenda sunt, ea manifeste perspiciet tam ex lege, quam¹² cum magistratus ordinarem, in commune omnibus descripsimus, quam ex mandatis principalibus, quibus illi datis explanabimus quomodo magistratum disponet tractabitque. Atque hæc agens, non solum nobis ingratus non erit, sed etiam Deo simul ac nobis animam suam devovebit, et pro magistratu denique bene gesto bonam remunerationis spem concipiet. Subjicietur autem et quadam recensio huic sacræ nostræ legi, per quam clarum fiet, quid ipsum, et adessorem, cohortemque ejus ex publico percipere, quid item ipsum pro codicillis magistratus præbere conveniat : ut edoctus quanta in ipsum conferatur liberalitas, et ad quantum moderationem impensa pro codicillis ab ipso facienda redacta sit, rebus ut æquum est et recte utatur majorum insuper gentium et plurium hominum imperium sperans, si his que in manibus habebit, convenienter utetur.

CAP. VIII.

Porro damus huic quoque, ut appellationis in spectabilem magistra-

7. L. 6, § 3, D. de offic. procons. — 8. N. 17, c. 15. — 9. L. 2, C. ut nemo privat. — L. 1, C. ut nemo liceat sine iudicis auct. — N. 29, c. 4. — 10. N. 17, c. 15. — 11. N. 8, c. 15. — 12. d.

tuum forma ab ipso huc transmissæ, tam apud gloriosissimos præfectos, quam gloriosissimum nostrum quæstorem vice sacræ consultationis disceptentur. At si quæ causæ minores quingentis aureis apud aliquos in sua provincia motæ, (tametsi ex delegatione forte) non tamen apud spectabilem actæ per provocationem suspendantur, tunc et in hoc graviore venerabilioreque factus, augmenti nobis in ipsum collati meminerit, et ita in rebus gerendis versetur, ut omnibus subditis et nobis ipsis et ante nos Deo simul ac legi irreprensibilem se præbeat.

EPILOGUS.

§ 1. Hæc igitur omnia pernoscentes excellentia tua, et tam magnas illi annonas addat, et ita ample eum dignitatis effectum sciat, ut floribus et dignitatis jam nunc a nobis illi traditæ cupiditate multis hunc consequi merito affectabile sit.

TIT. VIII.

DE PRÆTORE PAPHLAGONIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XXIX.

Imp. JUSTIN. AUG. Joanni præfecto prætorio.

PREFATIO.

Paphlagonum gens et antiqua, neque ignobilis olim extitit : in tantum quidem, ut et magnas colonias deduxerit; et sedes in Venetiis Italorum fixerit, in quibus et Aquileia omnium sub occidentem urbium maxima, et quæ multoties cum ipsis etiam regis certamen susceperit, condita fuit.

CAP. I.

Hanc sane Paphlagonum gentem Honorii piensissimi principis temporibus diminutionem passam, et aliquot amissis uribus nulla utilitate causa veteris illius contentionis et rigoris remissionem amplexam, nos denuo ad pristinam formam reducendam esse, ipsam quoque Paphlagoniam ad instar unius civitatis redigendam, et quæ in duobus jam Pontis fecimus, eadem putavimus et in ipsa constituenda : ut qui harum gentium adunatum imperium, et unum ex duobus prioribus, (nempe Paphlagoniæ et Honoriadis) factum tenet, is prætor nuncupetur (quod nomen et ipsum romanum est, et provinciarum rectoribus accommodatum), et una utatur cohorte ex duobus prioribus conglutinata, quam et centum virorum numerus supplebit. Imminet autem omnino hic quoque tribuitis² publicis exigendis, tam quæ Paphlagonas, quam quæ Honoriadis olim incolæ pendebant. Præterea omnibus ex æquo uribus provideat, quas utraque prius habuit provincia, hoc est in Honoradiæ quidem, Prusiadi, Cratiæ, Hadrianopoli, Tio, Claudiopoli et Heracleæ. Tametsi enim ex ipsis quedam, ut Prusias, Heraclea, et ipsa provinciæ metropolis et caput, Claudiopolis scilicet ex Bithynia prius illi assumptæ sunt, tamen quia semel eo transmigrarunt, magnæ curiositatis esse putavimus, denuo ipsas ad Bithynos reducere, et formam perturbare, adeo ut sex prædictæ urbes, in Honoradiæ prius existentes, erunt jam nunc et ipsæ pars Paphlagoniæ. Inter ipsos vero Paphlagonas jurisdictionem habebit in alias sex urbes, quæ jam inde ab initio ad eam provinciam pertinent, nempe Germanicopolim, Gangram, Pompeopolim, Dadrybos, tumulos Amastridis, et insuper Jonopolim. Et duodecim omnino totius provinciæ urbes erunt. Cæterum quantum ad præsens institutum circa sacerdotia nihil innovamus, sed metropolitani qui olim sacerdotia hic suscipiebant, tam in eodem manebunt ordine, ipsorum ordinatione quoad locum non mutanda, sed ab hujus alme urbis beatissimis patriarchis ordinandi, quam quos sub se positos hactenus ordinarunt, eos et nunc ordines, non de illis inter se dissident, non confundantur. Et una de cætero fiet provincia, plures habens metropoles, id quod, et in aliis³ quibusdam nostris extitit provinciis.

CAP. II.

Enimvero qui totius provinciæ imperium tenet (appelletur autem tota provincia, quemadmodum et ante, Paphlagonia) etiam oberrando urbes lustrabit, nulla id factum prohibente sacra forma olim forte ad talium prohibitionem composita, sed neque vicarios in locum suum hinc inde per urbes dimittens. Omnino enim hoc ipsum prohibemus, si quidem turpe est, ut quamdiu ipse in provincia jus reddat, interim alteri quoque vices suas contra legem committat. Sed ipse omnia dispensabit, et publica tributa summa cum animi promptitudine profligabit, neque plus neque

N. 8.

TIT. VIII. — 1. N. 28. — 2. N. 5, c. 3. — 3. L. un. C. de metropoli Beryto : N. 26, c.

minus exigens. Justitiæ præterea consentaneam æquabilitatem retinens, simul providentiam adhibebit, ut si quid damni fisco acceperit, id corrigat : simul urbes illas tam publice quam privatim conservet. Anno nam quoque, quam uterque prius magistratus habebat surgentem in septingentos viginti quatuor aureos capiet : tum adessorem habebit, qui septuaginta duos feral aureos : et cohortem unam ex ambabus compositam, procedentem usque ad centum virorum numerum, et quadringentos quadraginta septem aureos et tremissem percipientem e publico. Cum quoque gratis⁴ officium suscipiat, gratis item hoc ipsum obeat. Nos enim in hac quoque parte subditos nostros redimemus, et his qui ex consuetudine per⁵ occasionem suffragii (ut vocant) *aliquid percipiunt*, dabimus ipsi, hoc nimirum illis per thronum tuum erogantes ex publicis ejus provinciæ tributis : neque patiemur, ut sub specie et velamento auctionis subditi nostri in servitutem adigantur. Neque enim nos, qui decessorum nostrorum collatores a Barbaris ereptos, ad veterem libertatem reduximus⁶, commitemus, ut qui nobis ipsis peraddicti fuerunt, aliis serviant : quin potius Deo, qui multis per nos gentibus libertatem elargitus est, subditorum nostrorum usque novis auctionibus oppressorum libertatem (quoad ejus fieri potest) quasi donarium aliquod offeremus : neque obledentes eos qui jam accipiunt (introducemus enim solitam illis ad hoc securitatem), neque item permittentes, ut data pro officio pecuniæ nomine magistratus, quasi mancipium aliquod subditos nostros a vendentibus coeant, et revendant injuriam inferentibus. Esto igitur inter Pontici tractus provincias et hæc una duplex antea (haud scimus qua de causa) facta appellabuntque (ut diximus) eum qui provinciæ præerit, prætorem Paphlagoniæ Justinianæum, licebit autem græca ipsum lingua etiam strategum appellare.

CAP. III.

Præterea semper illi in memoriam rediges jusjurandum, cujus inventu officium suscipiet, ut *puras manus neque turpi lucro sordidas habeat, ut fisci commoda justis et undique inculpatis accessionibus augeat, ut subditis nostris æquitatem et justitiam imperia tam in causis publicis, quam privatis, sive contrahant, sive iudicio inter se contendant. Urbes autem absque læsione subditorum lustrabit, ut neque ipse, neque adessor, neque quod ipsum sequitur famulitium, sive ex militibus, sive ex cohortalibus, sive ex servis, aliquid lucretur, aut gratis sumptus faciat. Oportet enim ut tam ipsi ex iis annonis quæ porriguntur ipsi e publico, sumptus faciant cum conveniente mediocritate agentes vitam : quam milites, qui ipsos comitantur, cognoscant, quod si non suis contenti annonis iter faciant, sed collatores nostros ausi fuerint tentare injuriis, aut damnis involvere, aut gratis sumptus facere, collatoribus indemnitas futura est ex ipsorum annonis, per eum qui magistratu delungitur, ut ipse tam eas repetat, quam etiam ex illis suo periculo collatoribus indemnitas asserat.*

CAP. IV.

Atque hæc sane lex nobis de Paphlagonibus posita esto, honoratiorem illis magistratum efficiens, ut qui inter *spectabiles* numeretur, præbens ipsi auctoritatem tam in provinciales milites, (quatenus tamen juste eis præcipiat) quam etiam contra alios, nullis ejus provinciæ hominibus privilegio uti queantibus, sive majores, sive minores, sive etiam procuratori rerum ad potentes homines pertinentium præfecti sint. Certe quod facile per ea loca admittitur, hujus rei excellenter curam geret, ne committat, ut aliquorum prædiis *tituli* apponantur, ullum aliud nomen habentes inscriptum, quam vel fisci vel regiarum domuum. Sed si quid tale factum deprehendat, eos quidem titulos e vestigio detrahat⁷ : fisci vero nomine prorsus alios titulos prædiis ejus qui talia delinquit (si præsens hæc faciat) imponet prius detractis titulis ad illius caput confractis. Si vero absens sit, prædiorum curatore comprehenso tam corpus ejus tormentis subjiciet quam titulos detrahat : et in capite eos curatoris prædiorum comminet : sciens quod si quid ejusmodi negligat, nos vero didicerimus simul aliorum, ab aliquibus impositos prædiis titulos hæere quem fisci regiarumque domuum tam nostrarum quam piensissimæ Augustæ simul præsidem re ipsa comperta istos per negligentiam omisisse, is qui huic magistratum obtinet, bonorum suorum publicationem sustinebit, ut qui cum facile pro magnitudine imperii præsens ista prohibere potuisset, debita ea opera neglexerit.

CAP. V.

Ad hæc diligenter ibi ipsum locorum prospicere volumus, ut omnes qui *latrocinia⁸ exercent*, qui alienas substantias aut etiam uxores rapiunt, qui alia denique patrant crimina, persequatur, comprehendat, et

4. N. 8, c. 1; N. 17, c. 1. — 5. L. un. C. de suffragio. — 6. N. 28, c. 6. — 7. d. N. c. 5. — 8. — 8. d. N. c. 6. — 9. N. 8, c. 13.

competentibus suppliciis subdat, et omnem prorsus injustitiam reprimat : neque committat, ut in aliquo probiores et mansuetiores injuriis afficiant, ne aliis denuo talium persecutoribus opus habeamus, cogamurque rursus violentiarum repressores, latrunculares⁹ et alia id genus tolerare nomina simul et negotia quæ nos aversati ipsum ad hunc ordinem produximus, et ita amplum dignitatisque plenum magistratum effecimus, ut tam appellationes apud ipsum cum iudicat, interpositas ad excellentiam tuam, cuique eundem unquam magistratum suscepturi sunt, et celeberrimum quæstorem sacri nostri palatii, qui in forma consultationis audientiam iis accommodabunt, quam minores causas quingentis solidis, in provincia ejus apud aliquos non spectabiles motas, et si ex delegatione sint, cum per provocationem suspenduntur, ad se deducat in habitu, et ordine sacri auditorii, et ut ipse inter a nobis inventos, et in ampliore formam redactos magistratus ubique connumeretur. Siquidem et ipsi majores erunt, et in majore quam priores reputatione habebuntur, et facilius nobis vel in majoribus negotiis suam exhibebunt ministerium. Nihil enim in parvo magnum existere, tum a nostris dictum est majoribus, tum nos etiam ex ipsis iudicamus probavimusque factis. Subjicietur autem et huic legi descriptio quæ significet, quid e publico tam is qui provinciam regit, quam adessor et cohors ejus accipiet, quo item dato magistratus codicillos percipiat. — § 1. Ipsa sane ratio qua magistratum geret, cum hoc loco sub compendio explicata est, tum in lege quæ de omnibus magistratibus, in commune descripta est, simul et ex imperatoris nostris mandatis, quæ ei dabimus cum administrationis codicillos conferemus, et jusjurandum secundum legem nostram in hoc conscriptam exigemus, manifestabitur.

EPILOGUS.

Hæc igitur omnia perdiscens excellentia tua, et tam magnas illi annonas subministrat, et ita ipsum sciat amplæ dignitatis effectum, ut floribus et dignitatis hoc a nobis tempore in illum collatæ cupiditate merito multis ipsum consequi sit affectabile.

TIT. IX.

DE PROCONSULE CAPPADOCIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XXX.

Imp. JUSTIN. AUG. Joanni gloriosiss. sacrorum per Orientem prætorio- rum præfecto, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Quam amplum nomen Cappadocum gens habeat, et quanta Romanis negotia exhibuerit, priusquam in illorum ditionem redigeretur, non ignorant veteris eruditionis studiosi. Certe olim totius ferme Ponti imperium tenuit, et nominatissimi viri, inque magna apud Romanos reputatione habitū inde *orti vultu floruerunt*. Terram præterea habet diffusam admodum, et mirabiliter præstantem, et quæ ita majestati imperatoriæ placuerit, ut etiam possessionibus quas illic habet, peculiarem magistratum præfecerit, non minorem civili, sed *potius majorem*. Siquidem et populosissima est, et urbem maximam præbet ejusdem cognominis tunc charissimis nobis Cæsare, qui summo orbis terrarum arbitrio, quod nos obtinemus, bonum dedit principium : qua etiam de causa apud omnes terræ populos nominatissimum Cæsaris nomen est, et nos præter omnes alias imperatoriæ majestatis notas eo gloriamur.

CAP. I.

Hanc sane regionem parvo tradere magistratui contra omne nobis decorum et dignitatem fore visum est, cum alias tum vero maxime, quia semper ipsam adversus magistratum nostris domibus præfectum seditiones movere cernimus, et quia factionibus inter se divisa est civitas, quarum alteram *Tamiacam*², quasi fiscalem et æariam, alteram *Eleuthericam*, hoc est liberam appellant : et cum existat ambitu murorum una, duplex est sententiis. Unde et seditionum et disensionum occasiones, et si quid omnino mali fatigat homines, id (uti nos arbitramur) ex hac provenit causa : qua sublata, robur simul et concordiam negotio addemus, qua nihil unquam inter homines præclarior extitit, et præstantius. — § 1. Ac cum aliis magistratibus, quos nuper inter Pisidas³, Lycaonas⁴, Thracas⁵, instituissemus administrationis forma et æervus ex duarum rerum congressu constitit : tum vero majore hunc forma adornare cupientes, tertiam etiam potestatem illi adjecimus. Nam is quem huic præficiemus

TIT. IX. — 1. N. 8, c. 15, § 24 et 25; N. 20, c. 2. — 2. tit. C. de præd. Tamiacæ. — 3. N. 24. — 4. N. 25. — 5. N. 26.